

Libri ad textum constituendum selecti

Ex his omnibus libris recensitis eos selegimus quos ad textum constituendum sufficere agnovimus, quorum cum in editionibus superioribus (CSEL XCV/3 et 4) plerosque adhibuerimus, scilicet codices **K A N P₄ C H₁ Br₁ P₇ P₅ An₄ Mc₁ P₆ P₂₃ T V₂**, restat ut paucos, quibus hic primum utimur, summatim exponamus:

s₂ Codex Vaticanus Lat. 5758, olim Bobiensis (p. 5 exlibris: *liber sancti columbani de bobio*), membranaceus, 263×230mm. (185×160mm.), pp. 362, saec. VI–VII unciali scriptura, probabiliter in Italia septentrionali exaratus¹⁸; inter alia continet excerpta *En.* 148,1–4 (pp. 231–235).

f₃ Codex Casinensis 271, membranaceus, 270×190mm., pp. 276, rescriptus, cuius scriptura superior littera Beneventana saec. XI med. exarata Gregorii Magni Dialogorum libros praebet. Constat ex reliquiis antiquiorum quattuor codicum, quorum primus littera unciali saec. VII scriptus decadem *En.* 141–150 olim habuisse videtur¹⁹. Nunc autem eius scriptura inferior, qua fragmenta *Enarrationum* 142–150 servantur, cum sit vel nimis evanida vel atro membranae colore fuscata, nonnisi raro lectionem suam nisibus nostris aperuit. Ubi vero eam legere valuimus, ut lectorem de eius testimonio certiolem faceremus, si lectio varia erat, in apparatu, uti solet, eam semper expresse dedimus,

¹⁸ Cf. CLA 1,36.

¹⁹ Cf. CLA 3,375 («Written in South or Central Italy»); *Codicum Casinensium manuscriptorum catalogus cura et studio monachorum S. Benedicti Archicoenobii Montis Casini*, vol. II, pars I (codd. 201–300), recensuit D. Maurus Inguanez, Montis Casini 1928, pp. 81–86, qui fragmentum, quod in pp. 151–152 servatur, *Enarrationi* 143 errando tribuit, cum re vera ad *En.* 142 (scil. 142,16,30 *in caelum* – 18,2 *rectam*) pertineat. Hunc codicem diligenter recognovit V. Brown, *Early Evidence for the Beneventan Missal Palimpsest Texts (Saec. X/XI) in Montecassino 271*, in: *Medieval Studies* 60 (1998), pp. 239–306.

sin minus, ibidem lemmati, i. e. probatae lectioni, sigla f_3 *al.* apposuimus, quibus eam libro f_3 aliisque omnibus, qui variarum lectionum testes sub eodem lemmate allati non sunt, tradi lector intellegat.

U Codex Augustodunensis (Autun) 107 (S 129), membranaceus, ff. 204 (1–153 + 153bis–203), quibus addenda sunt ff. duo e codice excisa, nunc servata in Parisino, Bibl. Nat., Nouv. acq. Lat. 1629, ff. 15–16, quae continent *En.* 146,19,14 *in|quit viri ...* 20,18 *irato fu|ge* et 147,4,3 *evangelium ... 27 tamquam*¹; 270×205mm. (195–200×145mm.); saec. VI vel VII semiunciali quae dicitur scriptura exaratus in Hispania vel in Gallia quae Hispaniae proxima est, continet *En.* 141–149 (des. 149,16,2 *sancti*). Olim cathedralis Augustodunensis, postea seminarii maioris fuit eiusdem urbis²⁰.

g Codex Sangallensis, Stiftsbibl. 40, membranaceus, saec. VIII–IX, in f. 338, scriptura saec. IX exaratus²¹, excerptum *En.* 145,4,38 *natura ... 42 imagines* habet.

C₁ Codex Parisinus, Bibl. Nat. Lat. 12183, membranaceus ff. II+165; 292×191mm. Tomus est tertius decimus idemque ultimus collectionis illius omnium *Enarrationum* quae fuit Corbeiensis abbatae, scriptura Carolina saec. IX pulchre exaratus sicut et ceteri tomi eiusdem seriei. Continet *En.* 141–150.

P₇ Codex Parisinus, Bibl. armamentarii (de l’Arsenal) 356 (409 T.L.), membranaceus ff. 109, 288×217mm, saec. X scriptura Carolina exaratus; ff. 1,3v.: *hic liber est sancti arnulfi* (S. Arnout de Crépy); continet *En.* 119–150.

Caes. Excerptum *En.* 148 (1,28 *resurrectio ... 2,30 laudabimus*) a Caesario Arelatensi (sermo 206,1, cc 104, p. 824sq.) traditum.

²⁰ Cf. CLA 6, 729.

²¹ Cf. CLA 7, 898.